

† R. P. Paulus Huber.

(Prov. Baltim.)

† R. P. Paulus Huber.

(Prov. Baltim.)

Vix tredecim diebus post, quam R. P. Dooper mortuus est, communitas Baltimorensis ad S. Iacobum alterum lugens extulit sodalem carissimum et optime meritum R. P. Paulum Huber, qui die 5 februarii h. a. defunctus est.

Dolendum est, quod de prima eius pueritia nihil ad nos pervenit. Cum enim die 4 decembris a. 1848 in Wuerttembergia natus esset, iuvenis in Americam migravit atque in Erie, Pa., sutoris arte, quam didicerat, victum sibi quaesivit. Verum a. 1866 in communitate quadam Germanorum ludimagistri aedituque muneri praeerat, unde colligi posse videtur eum in schola primaria bene eruditum esse. Cum autem Patres nostri in Erie missionem haberent, iuvenis Paulus ad Congregationem se trahi sensit. Cui voci divinae ut obsecundaretur, paulo post in domum nostram Bufalensem se contulit atque initio anni 1868 in iuvenatum missus est, qui tum Baltimorae ad S. Alphonsum erat, unde studiorum humaniorum causa ad S. Iacobum postea transiit. Anno 1872 Annapoli in novitiatu vestem

S. Alphonsi induit et anno sequenti 1873 die 1 septembris, cum natus esset annos fere viginti quinque, votis religiosis Deo se consecravit.

Iam in iuvenatu noviciatuque modestia sua, sed etiam prudentia et indeole forti ac virili inter sodales praestitit. Studiis deinde theologicis Ilchestriae vacavit atque die 1 septembris a. 1877 ad sacerdotium evectus est.



Paulo post Ilchestriae socius directoris iuvenatus nominatus est, cui P. Iosephus Schwarz praeerat, qui nunc Procurator generalis est. At mox ad labores apostolicos vocatus est, ad quos sive in domibus Baltimorensibus, sive Annapoli usque ad annum 1894 multum desudavit, quo per aliquot menses theologiam moralem in studentatu docuit, cum P. Ios. Henning Romam ad capitulo generale profectus esset.

Dudum vero P. Huber ob prudentiam et sanum iudicium, experientiam humanique ingenii cognitionem, qua instinctu quodam naturae

indolem naturamque hominum cognoscebat, superioribus aptissimus visus est, qui Congregationis flores novellos in noviciatu moderaretur. Itaque anno 1895 novitiorum magister creatus est, cui muneri per annos quindecim ita praefuit, ut ad stationem suam recte vocatus esse cerneretur. In iudiciis, quae sibi de novitiis faciebat, vix umquam a vero aberravit. Neque omnes novitios eodem modo ad vitam spiritualem instituere solitus est, sed singulorum ingenii atque indole optime uti noverat, ut ad propositum vitae religiosae finem eos perduceret. Qua in re vix a quoquam superatus est.

Annapoli praeter magisterium novitiorum etiam munus ministri obivit atque diligenter vigilavit, ne quid necessarii Congregatis deesset. Duobus trienniis consultor quoque provincialis erat (ab anno 1901 ad 1907), cumque a. 1907 studentatu Esopum translato noviciatus Ilchestriam migrasset, P. Huber, novitiorum magister, simul hospitii Superior creatus est atque a. 1909 in capitulo provinciali suffragator ad capitulo generale electus Romam profectus est. Ilchestriae etiam quondam machinae cuiusdam rotæ ietu in brachio umeroque graviter vulneratus est, ita ut per complures hebdomades s. sacrificium offerre non posset brachiumque etiam post valde debilitatum remaneret.

Cum annos quindecim novellos provinciae flores in noviciatu moderatus esset, P. Huber munere liberatus ac Esopum missus est, ubi praeter ministri munus historiam quoque ecclesiasticam docendam susciperet, qua optime eruditus erat. Cum vero Rector P. Luecking die 20 ianuarii a. 1912 vita functus esset, ipsi domus studendatus gubernacula tradita sunt, do-

nec novus Rector constitueretur. Esopi usque ad annum 1916 mansit, quo ad S. Iacobum Baltimoram translatus est, ubi peritia sua ascetica in moderandis sororibus ludimagistris a Domina Nostra nuncupatis et sororibus Franciscanis in hospitali S. Ioseph uteretur. Ibi iterum etiam ministri munus in se suscepit.

Ante annos fere tres paralysi correptus est, qua unum corporis latus fere omnino debilitatum est. Tum vero, cum laborare iam non posset, tota eius virtus eluxit. Quamquam sine doloribus moveri non potuit, tamen s. sacrificio quotidie celebrando non abstinuit et ad exercitia communia numquam non adfuit. Ne cuiquam oneri esset, in refectorium corpus aegrum trahebat et in recreationem veniebat, neque quidquam de amabilitate et humanitate sua deesse passus est.

Cum interea dies anniversarius quinquagesimus ab eius professione appropinquaret, honores sibi deferendos omni modo declinare conatus est, at voluntati superiorum fratrumque amori concessit. Per multis igitur Patribus, quos in novitiatu educaverat, astantibus primum in oratorio s. sacrificio peracto missae sollemni, quam in gratiarum actionem P. Provincialis ipse cantavit, loco sibi praeparato in presbyterio ecclesiae adfuit, qua celebrata vota sua religiosa ex animo renovavit. Id unum precibus impetraverat, ut concio, quae tali occasione oblata haberi solet, omitteretur. Petiverat etiam, ne ad mensam sermones gratulatorii haberentur, Patrem vero Provincialem, ne nomine provinciae pauca diceret, impedire non potuit. Ipse verbis veris et sinceris, sed paucissimis respondit.

Patris Huber facies miram quandam similitudinem cum imaginibus S. Clementis nostri habuit, quare haud raro per iocum P. Hofbauer dicebatur. Indole erat ad severitatem aliquantum proclivi, numquam vero aspera. Usus eius quotidianus iucundus erat et humanus, at cautus, ita ut ne cum amicissimis suis quidem de rebus, quas abscondi oportuit, loqueretur, neque quisquam rem secretam ab eo resciscere fidemve ab eo laesam conviciari posset. Toto vitae tempore animi affectiones moderari noverat.

In negotiis tractandis cum res aequabiliter in utramque partem pensasset, paucis verbis, quid sentiret, edicebat. At si sibi persuasum habuit v. g. novitium aliquem Congregationi idoneum non esse, in decisione sua firmus perstitit, neque ulla re adduci potuit, ut ab ea recederet. Festinationis neque in incedendo, neque in dicendi agendive ratione ullum umquam vestigium in eo comparuit.

Cum P. Dooper die 19 ianuarii ex inopinato mortuus esset, P. Huber miratus est, quod homo sanus robustusque se praecessisset. Nec signa mortis praesaga in eo conspiciebantur. Die 4 februarii more suo s. sacrificium perfecit, sed vesperi aegrum se esse sensit. Cum medicus advocatus eum in periculo maximo versari dixisset, ipse animo tranquillissimo respondit: «Ecce me, paratus sum». Paulo post s. sacramentis susceptis

mente alienatus est et sequenti mane, die 5 februarii, dum ad salutationem angelicam campana pulsatur, placidissima morte spiritum Deo reddidit, annos natus 75, dies 32.

Die 8 februarii confratribus multis, praesertim qui in novitiatu eo magistro usi erant, astantibus missa sollemni pro defuncto celebrata R̄m̄us Archiepiscopus ultimam absolutionem ad tumbam dedit et P. Huber ad latus Patris Dooper sepultus cum eo resurrectionem mortuorum exspectat.

Filius genuinus et fidelis S. Alphonsi P. Huber vita cessit, qui faustam vitae egregiae ac virtutum meritorumque plenae memoriam reliquit in maiorem Dei gloriam Congregationisque honorem. R. i. p.! <sup>s</sup>